Pateat universis. Quod Nos Martinus dei gratia Rex Aragonum Valencie Maiorice Sardinie et Corsice Comesque Barchinone Rossilionis et Ceritanie Tenore presentis fatemur et in veritate recognoscimus vobis probis homi-
nibus ac universitatibus et singularibus villarum et locorum tenencie de Culla domus de Septem Septenis Magistratus beate Marie de Montesia Absque tamen preiudicio et lesione privilegiorum franquesiarum libertatum et iurium venerabilis
magistri de Montesia et ipsius ordinis ac hominum et vassallorum suorum et cuiuslibet eorum ac universitatis predicte per nos et predecessores nostros illustres recordacionis eximie concessorum et concessarum aut ab eis adquisitorum seu adqui-
sitarum. Quod solvistis nobis ad omnimodam nostram voluntatem seu de nostri mandato tradidistis dilecto consiliario et Thesaurario nostro Johanni de Plano legum doctori Quadringentos viginti octo florenos auri de Aragonia ex solidis
tres denarios et obolum barchinonenses qui sunt pars vos contingens in illis Tribus mille florenis auri de Aragonia quos nobis subventum fuit videlicet pro omnibus universitatibus et singularibus villarum locorum et castrorum Magistratus
predicti percipiendorum expensarum felicis matrimonii illustris Regis Sicilie primogeniti nostri carissimi cum inclita Blancha filia Regis Navarre fratris nostri precari per dei gratiam firmati et concordati et etiam
solempnitatis milicie dicti Regis Sicilie. Renunciantes excepcioni pecunie non numerate non habite et non recepte et doli mali et actioni in factum et omni alii iuri his obviantes. Unde facimus vobis de prelibatis
Quadringentis viginti octo florenis auri ex solidis Tribus denariis et obolo barchinonensibus presens apocam instrumentum ac bonum finem et pactum de ulterius non petendo in posse notarii et scriptoris nostri infrascripti tanquam publice persone
hec a nobis nomine nostri et omnium illorum quorum interest et intererit ac poterit et poterit interesse recipientis paciscentis ac etiam legitime stipulantis. In quorum omnium testimonium presens publicum instrumentum fieri et sigillo nostro impendenti
iussimus communiri. Datum et actum in Regali Valencie sexta die Septembris Anno a nativitate domini Millesimo CCCC° Secundo Regnique nostri Septimo.

Signum ✠ Martini dei gratia Regis Aragonum Valencie Maiorice Sardinie et Corsice Comitisque Barchinone Rossilionis et Ceritanie Qui hec concedimus et firmamus. Rex Martinus

Testes qui ad premissa presentes fuerunt sunt Petrus de Turrillis miles consiliarius dicti domini Regis et Martinus de Juaz miles consiliarius et camerlengus dicte illustris Regine Sicilie.

Sig✠num mei Bartholomei Sirvent(?) Gras Jamde(?) domini Regis Scriptoris auctoritateque Regia notarii publici per totam terram et dominacionem suam. Qui premissis interfui eaque scribi feci et clausi.

Dominus Rex mandavit michi Bartholomeo Gras in nunc possessionis F.

Remittatur Thesaurario antequam ~~expediatur~~ tradatur pn.